



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Andreas. M. 17. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

506 VITÆ SANCTORVM. 17. Octob.
in fugam versipellem hostem egit, victor tro-
phæum Crucis erexit, & præsidium sacra Divo-
rum lipsana imposuit. Quin longius etiam hostem
persecutus, pepulit è filiâ Ducis Gunzonis, quam
insederat, Galliarum tum regis, sed Christi post-
ea sponsâ. Et poterat in præmium accipere infu-
lam Constantiensem, nisi hanc, quam tanti alii fa-
ciunt, nihili ille fecisset. Itaque ad majora præmia,
& GALLO digna, cælum evocavit. Ejus funus equi
ferocissimi sponte ad sepulturæ locum duxerunt.
usque adeò nihil ferum in orbe est, quod virtus
non domet. Ex VValfrido Strabone apud Sur.

Vtinam sapiamus ad præsentis vita moderationem!
sit inam intelligamus ad prateritæ correptionem! utinam
devotâ in Deum fide provideamus, ut felicem habe-
mus, ipso miserante, consummationem! S. Bern. serm. 2.
de SS. Pet. & Paul.

S. ANDREAS M. 17. Octobris.

BEllo, quod sacris DEI Divorumqne imaginib-
us barbarus Copronymi furor indixerat,
multum virtus ANDREÆ émituit: quippe qui sub
ejus statim initia è Cretâ Constantinopolim ad-
volavit linguâ & pectore propugnaturus pietate-
rem. Et nimirum (clamabat ille in publico virtu-
tis theatro) majores nostros, qui pulchram pro
patriâ mortem oppetierunt, stantes in faxo, in
ære, in auro suspicimus; at verò qui pulchrius pro
cælo sunt mortui, nullo honore dignabimur? Ti-
bi homini, Copronyme, aureas ponî statuas, &
surgere cælo colosso spectabimus, neque impunè
hos quisquam nostrum jam violabit; tu verò cæ-
li Imperatoris imagines, tu Imperatoris Matris
magnæ, tu amicorum hujus gratis eversum
ibis?

18.Octob. VITÆ SANCTORVM. 507

ibis? quin etiam improbe illam ex animo tuo
imaginem deles, quam suā manu, cùm te finxit,
Numen depinxit? Sed quid ajo? dudum hanc
orcus deformavit, & suis te coloribus pinxit. Hoc
unum audi. Aut fallor ego (imò non fallor)
aut, si terræ filius bellum porrò cælis movere per-
gis, si sedibus suis Superos deturbare laboras, ful-
men etiam tu senties. Erat hoc furiosum lacesse-
re. Itaque flagra, taureas inclamat tyrannus: his
lacerum in vincula, inde inter lapidum imbræ ad
infamem mortem raptari jubet. Sed ecce adest,
qui ex itinere, amputato altero pede, Divum
cælo transmittit; profuitque ad compendium
viæ, pedem abjecisse. Ex Surio & Menais.

*Insipiens est, qui se à Paradisi gaudiis peregrinum es-
se non considerat, & se exulem in hoc exilio non atten-
dit. Stultus est, qui licet ista cognoverit, liberari tamen
à mundi miseriâ per vitæ meritum non intendit. Au-
ctor Spec.peccat.tom.9.S.Aug.*

S. LUCAS EUANGELISTA.

18.Octobris.

LVCAM nobis Antiochia Syriæ peperit, edu-
casse verò ipsæ in sinu suo Musæ videntur.
Nam literis & Ægyptiis & Græcis omnibus ex-
cultus, arte insuper medicâ clarissimus habitus
est. Sed nihil hæc omnia ad illa, quæ in Christi
scholâ grandis discipulus didicit, sui Deique
agnitionem. Fertur etiam socius Cleophae fuisse
in Emmaus eunti, tūc cùm ambobus à morte CHRI-
STVS se comitem junxit, hospesque non a symbo-
lus mensæ accubuit. Post hujus verò, quem in cœ-
los duxit, triumphum, ubi in orbis partitionem
cum cæteris Apostolis venit, fidus magno Paulo